

in hac aqua præparata prolongatione præparationis, res non existens in ea. Propter quod dixerunt sapientes. Facite res esse rem, & propterea factus est lapis eorum agens res. Et quidquid est in manibus hominum, est uacuum & uanum. Quia uirtus, quam uocant Embriorem & genitum, non generatur nisi in lapide eorū tingente, aliter quam uniuersi lapides, siue sicci, siue humidi per putrefactionem, & calorem alarū, sicut formatur pullus. Et sicut formatur homo ex spermate, & alia animalia. Et sic formantur res per putrefactionem, & calorem alarum.

Deinde fecerunt hanc animam, per attenuationem & subtiliationē, in conuersione spirituum, ut tingat, & imprimatur corporibus. Propterea dicunt sapientes. Aes nostrum est sicut homo habens spiritum, animam, & corpus. Propterea dicunt sapientes, Tria & tria sunt unum. Deinde dixerunt, in uno sunt tria, & spiritus, anima, & corpus sunt unum, & omnia sunt ex uno. Et hæc præparatio est quam uocant, Conuersionem